



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola IV. Gregorii Papae I. Ad Cyprianvm Diaconvm. Praecipit modios
tritici pauperibus erogare duo millia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

neceſſe habuimus te ſummopere per ſcripta noſtra prohibere, ne Miſſarum ſoleſſia celebrare debuiffes, donec quid eſſet verius potuiſſemus addiſcere. Ne ergo, fili, eccleſiæ diu videantur non habere paſtorem, & ne per hæc quæ dicuntur, ſi indiffuſa remanſerint, huiuſmodi ſe vitium tendat in plurimos; hortamur vt ad nos venire omni poſtpoſita excuſatione feſtines, quatenus ſeruata iuſtitia, hæc & cognoſcere, & finire ſecundum canonica inſtituta Chriſto reuelante poſſimus. Ita autem fac, vt ad veniendum amplius iam moras non ingeras, ne ipſa te magis abſentia obnoxium his quæ dicuntur aſſignet, & nos in te hæc res non ſolum propter dicta crimina, quæ purgare ſubterfugis, ſed etiam propter inobedienciæ culpam durius, ſcilicet vt in contumacem, cogat ex Concilio ferre iudicium.

EPISTOLA IV.

GREGORII PAPÆ I.

AD CYPRIANVM DIACONVM.

Præcipit modios tritici pauperibus erogare duo millia.

Gregorius Cypriano diacono.

Ioan. diac.
libro 2. cap.
55.

ZENON frater & coepiſcopus noſter quosdam in ciuitate ſua alimoniarum neceſſitatem innotuit ſuſtinere. Quibus quoniam, vt poſſibile eſt, aliquod deſideramus ferre conſultum; idcirco dilectionem tuam antedicto fratri & coepiſcopo noſtro mille modios tritici, aut ſi plus leuare potuerit, vſque ad duo millia, ſcriptis te dare præſentibus deputamus. Hortamur igitur vt in his præbendis nullam moram aut excuſationem adducas, quatenus dum tempus ſinit, & hic cum Dei adiutorio ſine periculo ad propria remeare, & citius valeat neceſſitatem patientibus ſubuenire.